



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 403. Quinam feudum constituere & primitus concedere possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quest. 403. Quinam feudum constituere & primo concedere possint?

Resp. primò in genere: Quanquam olim feuda (intellige propriissimè talia) conferrent Imperatores, Reges & Magistratus belli gerendi potestatem habentes propter servitium militare illis feudis annexum. Corvin. *jur. feud. tit. 4. in princ.* hodieum tamen possunt id omnes & soli, qui bonorum suorum allodialium liberam administrationem habent, prout expressè dicitur *l. 2. feud. tit. 3.* Sic itaque feuda secularia concedere potest Imperator, non tantùm de bonis propriis seu patrimonialibus; sed etiam de bonis Imperii, ita tamen, ut bona regaliæ majorisque momenti, ut sunt Principatus, Comitatus, Civitates & similia (alias non solita dari in feudum) hodie concedere nequeant, aut de iis dare expectativas sine scitu & consensu Electorum; sed illorum, ubi vacant, redditus ad Imperii usus reservare debeant juxta Capitulationes Caroli V. *art. 24.* Ferdin. II. *art. 28.* Ferdin. III. *art. 23.* Leopold. *art. 30.* Josephi Romanor. Regis *art. 39.* quas citat Reiffent. *h. c. 43.* Item in feudum dare possunt bona sua allodialia non tantùm Principes, Comites, Barones, Nobiles per textum *l. 1. feud. tit. 1. in pr.* sed etiam privati & plebei, dum & hi rerum suarum sint domini & arbitri, & nullibi jura aut consuetudines feudales illis resistent, quin potius positivè eis assistant, universaliter concedendo id omnibus habentibus liberam bonorum suorum administrationem. Et inter hos id possunt non tantùm naves ut olim, sed etiam fœminæ, secundùm quod dicitur *L. 2. feud. tit. 3.* fœminam quoque etiam novi feudi investituram dare posse plerique consentiunt, modò tamen rei, quam in feudum dare volunt, administrationem habeant, & bona sua impudicè & luxuriosè vivendo non dilapident. Arg. *l. 8. mulieri. ff. de Curat. furios.* ita Zal. *in epitom. feud. p. 5. n. 33.* Schrad. *de feud. p. 2. c. 1. n. 59.* Item non tantùm laici, sed & clerici feuda concedere possunt de bonis suis patrimonialibus vel quasi talibus, si ve ea sint propria, si ve feudalia *l. 2. feud. tit. 35.* Non tamen de bonis beneficiorum suorum; uti nec Episcopi, Abbates aliique Prælati & Rectores de bonis Ecclesiarum suarum, etiam de novo acquisitis, non solitis infeudari, nisi sint modici valoris, feuda sine justa causa & juris solemnitatibus concedere non possunt juxta Decretum Urbani II. relatam *l. 2. feud. tit. 6. & Extravag. ambitiosa. de Reb. Eccl. alien.* eò quòd infeudatio rationem habeat alienationis, & quidem ad naturam beneficii & donationis accedentis, & hinc specialiter illis tanquam non Dominis, sed solùm administratoribus illorum interdicta per *Can. sine exceptione. 12. q. 2. & c. 1. de reb. eccl. alien.* possunt tamen de iis ex justa causa & adhibitis juris solemnitatibus adhiberi solitis in aliis alienationibus constituere feudum novum, non secus, ac illas taliter alia viâ alienare possunt. Qualiter autem absque illis bona aperto feudo reversa ad Ecclesiam rursus infeudare valeant, dictum est supra; & specialiter de feudo decimarum solito concedi laicis reverso ad Ecclesiam valde probabiliter dicit Clar. *q. 13. num. 2.* cum Gl. *in c. prohibemus. de decimis. v. laicos.* contrarium sentientibus Curtio Jun. *p. 2. q. 8. n. 5.* Menoch. *de presump. l. 6. presump. 86. n. 3. & c.* Quod ipsum illos etiam posse, dum feudum apertum tempore prædecessoris, & ab eo non concessum denuo, nisi fortè prædecessor ille ex eo per-

ceperit fructus, & tenuerit inter bona mensa (in quo casu inconsulto Papa successor ille non poterit rursus infeudare illud) tradit cum communi Clar. *loc. cit. n. 3.* contra Gl. *in c. 1. de his qui feud. dar. poss. v. feudum dare.* quam communiter reprobari dicit cum Guido. Papa. Et quidem ea concedere etiam consanguineis & affinibus suis, modò talis reinfeudatio non sit ex eo Ecclesiæ onerosa, vel aliàs suspecta, asserit Clarus *loc. cit. num. 5.* citatis Curt. Jun. *p. 2. partus princip. q. 7.* Zal. *de feud. p. 5. vers. quarta conclus.* Jason. *de his qui in feud. dar. poss. n. 19.* testans sic fieri de consuetudine non omnino improbanda; adjiciendo tamen hanc monitionem, ut caveant, ne, dum suos consanguineos immeritò bonis ecclesiasticis ditare contendunt, eorum & suas animas illaquent.

Quest. 404. An quisque vasallus subinfeudare possit feudum à se habitum?

Resp. Id posse vasallum tam laicum quàm Ecclesiasticum seu Ecclesiam de bonis scilicet, quæ sibi concessa in feudum ab alio juxta dicta *quest. ante hanc. 8. resp. 3.* Præter quæ hic notanda sequentia. Primò, quòd, ut hoc possit, requirantur tria. Primum, ut hoc faciat bona fide sine fraude; ut is, qui subinfeudatur, sit ejusdem conditionis & qualitatis, cujus est vasallus subinfeudans. Ut eum subinfeudet cum iisdem pactis & conventionibus, quibus ipse feudum tenebat. Clar. *q. 32. n. 4.* cum Gl. *in c. 1. §. praterea. de his qui feud. dare poss. Belvisio in idem. c. in pr. & Molin. in consuetud. Paris. feud. §. 32. n. 18.* Secundò notandum, hanc subinfeudationem non posse fieri in præjudicium agnatorum subinfeudantis, utpote quibus debetur ex pacto & providentia primi concedentis. Clar. *loc. cit. num. 5.* cum Beroo. *q. 95. n. 5.* qui dicit communem. Unde, dum tale feudum est antiquum & paternum, non durat apud secundum vasallum seu subinfeudatum, nisi quandiu vivit subinfeudans, vel ejus descendentes, eo autem mortuo resolvitur subinfeudatio, venitque proximus agnatus subinfeudantis ad feudum. Alex. *conf. 15. n. 9. l. 5.* Ruin. *conf. 37. n. 18. l. 1. §. conf. 213. post num. 2. l. eod.* quos citat & sequitur Clarus *loc. cit. num. 5.* Neque etiam fieri in præjudicium domini directi, dum nimirum moriente vasallo subinfeudante sine filiis & agnatis feudum esset aperiendum domino directo. Unde & in eo casu censent plures, feudum non permanens apud subinfeudatum, nisi quandiu mansurum fuisset apud primum vasallum; aliis tamen sentientibus contrarium, nimirum permanens apud secundum vasallum seu subinfeudatum etiam post finitam lineam primi vasalli seu subinfeudantis; pro qua secunda sententia etiam dicitur ita videri esse textum expressum in *c. 1. §. 1. qual. olim feud. pot. alien.* Quatenus ibi dicitur, non posse adimi secundo vasallo feudum, quando primus esset eo privandus, si esset paratus illud ab ipso domino directo recognoscere, & illi servire, addit tamen, id in practica non posse sustineri. Tertio notandum, quòd, ubi subinfeudatus velit feudum subinfeudatum alienare, non requiratur consensus subinfeudantis, utpote penes quem post subinfeudationem non remanet nec dominium directum, nec utile, sed solummodo quædam reliquæ utilis domini, quæ tanquam modici momenti non attenduntur. Requiritur autem & sufficiat consensus prioris seu primi domini directi,